Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36488
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sim pulvis et cinis. Et iterum. Ipse me reprehendo et ago penitentiam
in favilla et cinere. Et bene post fistulam colore purpuream ponit cinamo
mum cinerei coloris arborem. quia per recordationem nobis dominici vulneris
ortum despectus nostrę virtutis. Et huius autem cortex in pretio est. qui quod in mo
dum cannę rotundus sit et gracilis. cinamomi nomen accepit. Amomum
enim grecum inmaculatum dicitur. Fistula inquit et cinamomum cum univer
sis lignis libani. Sicut fistula et cinamomum humiles iustorum cogitatio
nes. sic et ligna libani sublimes eorum actiones demonstrant. quia nimi
rum hęc non solum odoris ac medendi ut fistulę et cinamomum gratia
pollent. nec corticis tantum gloriam preferunt. sed etiam in magnam se altitu
dinem multumque robur attollunt. Unde et edificiis sunt apta maioribus. Hoc
in ipso etiam cantico attestante in quo superius dictum est. Tigna domorum nostrarum
cypressina. Et iterum. Ferculum fecit sibi rex salomon de lignis libani.
Fis[...]tula ergo et cinamomum in horto domini procedunt cum universis lignis
liba[...]ni. quia hi qui in ecclesia sancta humilitate et patientia mirandi sunt
unā cum [...] eis qui ipsam ecclesiam predicando vel virtutes faciendo firmiter
muniunt palmam supernę retributionis expectant. Myrra et aloę
cum omnibus primis unguentis. Myrra et aloę continentiam carnis expri
munt. Quia nimirum horum natura est aromatum. ut uncta ex eis corpora
defunctorum minime putrescant. sicut quoque dominicę sepulturę documenta
testantur. Quoniam enim corruptio mortuę carnis. putredinem luxurię. ita
conditura eius ubi typice in bonum accipitur. virtutem continentię et cas
titatis. quę membra nostra a vitiis refrenat. aptissime demonstrat. Pri
ma vero unguenta illa sunt. de quibus dicit apostolus. Emulamini autem charismata
maiora. et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis ho
minum loquar et angelorum. caritatem autem non habeam. factus sum ut es sonans.
et cymbalum tinniens. et cętera quę de magnis illis virtutibus in quibus
arcem tenet caritas. magnus dicendi artifex mirifice disseruit. Pul
cra sane coniunctio. ut myrra et aloę cum omnibus primis unguentis
dominico oriantur in horto. quia dum carnem a lascivia restringimus.
consequens est. ut maiora spiritus dona percipiamus. Cui contrarium dictum est quoniam
in malivolam animam non introibit sapientia. nec habitabit in corpore
subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinę effugiet fictum. Est autem myrra
arbor arabię altitudinis ad quinque cubitos. similis spinę quam acanton
vocant greci. cuius gutta viridis atque amara. unde et nomen accepit
myrra. Quę cuncta mortificationi carnis apte congruunt quę ama
ra ad tempus sentitur. sed in spe semper virentis patrię libentissime